

consuescunt, dum hi omnes qui pietati ac bonis moribus officunt sedulo caventur, ut, e contrario, qui aliqua saltem ratione ipsis consulant exibeantur. Ab ipsis, enim, Ecclesiae Ministris, infanda venena, vel saltem inepta ac tam levia ut et perniciose dixeris praebere, non nocimento tantum, sed et scandalo fidelibus foret.

491. — Quoad diaria fidelibus consulenda nuperrimas ac gravissimas SS. D. N. Pii P. P. X. apostolicas lamentationes exstant: *Quaedam diaria quae, per modum habitus, catholicos suadere nituntur ut de damnis sacrae religioni irrogatis ab his qui in rerum publicarum perturbatione Ecclesiae bona dilapidarunt ac iura violarunt, ne ex corde doleant ac deplorent; quae iniquissimam rerum conditionem Sedi Apostolicae factam nec curant quidem, neque acriores iniurias ab hostis parata reformidant; quae genium ac orthodoxiam eorum scriptorum extollunt quorum opera si diligentius subiciantur examini, veris ac funestissimis scatent erroribus; quae, demum utpote catholico nomine gloriantes, facilius omnium manibus, etiam ecclesiasticorum, teruntur, tanta doctrinae ac disciplinae detrimenta catholicis parant, quanta haec ipsa diaria aperte Ecclesiam Dei impetentia inferunt*¹. In praxi diaria apostolicis vel minime inserta monitis quae sint, potiusquam ex diceris ac ipsorum diariorum numquam satis lacrimandis disputationibus, ex Ordinarii sententia Pastor accipiet, cui, heic quoque, adamussim insistet².

492. — Conclusionis ergo, his quae in fidelibus a Pastore curanda sunt, quaedam in ipsius Parochi utilitatem addenda censemus. Si, enim, et heic quoque adeo ipse se haberet, ut exemplo fidelibus esse haud possit, pastorales omnes in re industrias suas, magno in discrimine vocari certum est. Itaque:

a) Quod libros in proprium usum deducendos attinet, illud *non multa, sed multum* heic obtineat locum: bibliomaniae, enim, inservire ad nil nisi ad inutiliter dissipandam pecuniam valet. — Quamvis vero praeadamati Pastoris libri, SS. *Scriptura, Breviarium, Ritualis* ac *Missale* esse debeant, attamen si, nostris praesertim temporis, his tantum contentus, coeteros omnes sperneret, minime recte se haberet. Ex quibus vere sua privata bibliotheca coalesci possit, quam in huius tractationis limes posuimus bibliographiam aptiora Pastori indigitabit.

¹ Epist. ad Em. Mediolanens. Archiepisc. 1 jul. 1911.

² Cfr. Deliberat. Episcop. Longobard.

1895, et Eorund. Epist. collectivae, 4 nov. 1891, 6 jan. 1896, 29 jun. 1900, 15 august. 1901, 4 nov. 1902.

b) Libros omnes qui, quoquomodo, hodiernae laxitati inserviunt, ac, eo magis, oscenitatem levitatemque redoleant a sua bibliotheca Pastor arceat, immo neque suam in canonicam ipsis aditum permittat. Si vero genuinos ac probatorum casuisticorum theologiae morum tractatus excipias, coeteros eiusdem generis, vel qui ipsis appropinquantur libros, communibus in adiunctis, ne admittat, et eo minus iuvenibus confratribus mutuetur, quibus, interdum, gravissima detrimenta, sed nulla adiumenta, ferunt. Medicinae, igitur, libros, etsi et de illa pastoralis agatur, ne facile recipiat, et si admiserit, perquam caute, et Divina primum implorata Gratia, tantum adhibeat. Quibusdam, profecto, et haec opera necessaria esse certum est; at omnibus indiscriminatim ac iuvenibus praesertim sacerdotibus [immo et clericis in seminario degentibus] eos tradere, magnae saltem imprudentiae est. Enimvero profana, an [uti malignantes dictitant] ecclesiastica pornographia daminari, parum refert.

c) Si vero necessitas vel evidens utilitas poscat ut quibusdam malis libris lectionem Pastor impendat, venia impetrata¹, adeo se habebit ut nec Coadiutores, neque, eo minus, fideles dignoscant.

d) Quod diarios vero attinet:

I) Quantum intersit ut pontificia monita pro seipso praesertim, ad sedulam Pastor deducat praxim, per se patet, et quantum diariis illis, qui quoquomodo a recta cum Ecclesia sentiendi ratione deviant, nomen dare, vel continuo his studere, tum scandalo, tum culpae sit, facile liquet.

II) Indiscriminatim, diariis ephemeridibusque omnibus, adeo necessitatis vel compertae tantum utilitatis causa Pastor studeat, ut in his, communibus in adiunctis, minimum quoad fieri potest temporis spatium insumat. Meliora profecto ac urgentiora in pastoralis ministerio semper habentur, quae huic saepe vanae et, interdum, tum paci, tum aedificationi ac caritati adversae lectioni, haud immolare decet.

III) Insuper lex est:

a) Nemo e catholicis, praesertim viris ecclesiasticis, in huiusmodi diariis, vel foliis, vel libellis, periodicis, quidquam, nisi suadente iuxta et rationabili causa, publicet².

b) Viri e clero saeculari prohibentur quominus, absque praevia Ordinarium venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant³. Quae si quae venia perniciose utatur, moniti primum, priventur⁴.

¹ Cfr. paradygm. ad XL vol. calc.

² Leo XIII, *Officior. et muner.* 23 jan. 1897, c. VIII, 22.

³ Id. Ibid. n. 42.

⁴ Pius PP. X *Encycl. Pascendi*, cit. ad IX.

c) Quoad correspondentes, vel collaboratores attinet, videant Episcopi ne quid peccent; si peccarint eos moneant, atque a scribendo prohibeant ¹.

IV. Quamvis, enim, in diariis quoque catholicis collaborare in multorum optatis sit, attamen tam ardua periculosaque res est, ut vix, et accedente tantum Ordinarii iussione, suaderi possit. Multas, enim, in disputando haberi vanitates, quae nil prosunt, quotidiana ac non semper laetabunda experientia amplissime docet...; quo et illud fit, [per transennam monemus] ut si his diariorum scriptoribus fidere bonum, diffidere tamen melius sit. Enimvero, discretioni continuo ipsos inservire adeo dubium est, ut si quis sincere cum ipsis agat, plura, magis tegenda quam propalanda, vulgus dignoscet. Si, igitur, colloquia aut *interview* [uti aiunt] hi postulent, quae cum ipsis servanda ratio sit, ex dictis liquet.

V. Tandem, ne ex morum theologiae vel medicinae pastoralis libris, non solum haud frugem, sed et scandalumque detrimentum laici insumant, hos post mortem ipsis ne concedat Pastor. Si quosdam vero prohibitos libros, debita cum licentia habeat, ne in aliorum manibus vel ad heredes, sed his tantum hanc veniam possidentibus transeant, ipse curabit ².

§ VIII. — De Confraternitatibus, Piis Sodalitiis, quibusdam peculiaribus devotionibus christifidelibus suadendis, necnon de Piis Peregrinationibus.

SUMMAE RERUM. — 493. Animadversiones praeviae. — 494. Canonicae quoad Confraternitates normae recensentur. — 495. Pastorales in re industriae recoluntur. — 496. Hae Confraternitates enumerantur. — 497. De peculiaribus devotionibus in fidelibus fovendis, nimirum: a) erga SS. Eucharistiam ac SS. Cor Iesu; b) erga Spiritum Sanctum; c) erga Christi Passionem; d) B. M. V. erga, et ad rem apostolicae ac liturgicae peculiare industriae; e) de devotione in S. Familia suadenda; f) de S. Iosephi cultu; g) de in SS. Angelos devotione; h) de Defunctorum cultu generalis. — 498. Maximi momenti animadversio. — 499. De Peregrinationibus piis, et ad rem pastorales normae. — 500. Conclusio.

493. — Quum christifideles omnes in unitatis spiritu congregati, eadem credentes, eadem sperantes, Dei gloriam proximique salutem incolumitatemque diligentes, in una veluti societate ac familia constitutos se agnoscant, eo ipso ad bonum in commune operandum ac non ad

¹ SS. D. N. Pius PP. X, encycl. *Pascendi* cit. ad IX.

² Cfr. *Instructio Pastoralis Eystetensis*, n. 611.

suam tantum, sed ad communem ipsorum utilitatem sollicitè curandam destinatos se esse sentiunt. Sodalitia proinde seu Confraternitates, singulari foecunditate, in Ecclesia omni tempore florere, atque uberes ex eis fructus fideles constantissime percepere. Si, enim, legitime ordinatae hae Confraternitates sint, exquisitos pietatis misericordiaeque operum fructus plebi sanctae ac Regi gloriae afferunt. Ideo S. Mater Ecclesia easdem ab antiquissimis temporibus benignissime semper excepit fovitque, ac omnes per orbem Episcopi magnopere illas commendarunt; Romani vero Pontifices multis privilegiis indulgentiisque easdem ditarunt, atque, ut salutaribus ordinationibus regerentur, prospexere.

494. — Quae vero in re Summorum Pontificum praescriptiones ¹ sint, paucis, sic accipe:

I. Confraternitas ², quocumque titulo nuncupetur, est fideium congregatio, in unum quandoque convenientium ad quaedam specialia pietatis officia obeunda, ecclesiastica auctoritate canonice instituta et erecta, ejusque regimini subdita.

II. Confraternitates quasdam erigere possunt et, saepe jure exclusivo, Generales Ordinum, ex privilegio Sedis Apostolicae, obtento prius consensu Episcopi.

III. Confraternitates, secluso casu reservationis, in sua dioecesi erigit, adprobatis antea statutis earum, solus Episcopus et Vicarius generalis, si speciale ad hoc mandatum acceperit, aut, vigore litterarum vicariatus, ad specialia loco Episcopi peragenda, fuerit deputatus ³.

IV. Unica tantum Confraternitas ejusdem nominis et instituti in ecclesiis saecularibus vel regularibus potest erigi vel aggregari; nec debet institui, si in vicinia aliqua similis, saltem intra distantiam unius circiter leucae, jam antea existat, nisi adsit speciale privilegium, aut erectio ante bullam Clementis VIII fuerit effecta ⁴.

V. Quaeque moderatorem suum debet habere Confraternitas, qui potest esse, vel Parochus loci, vel alius sacerdos ad arbitrium Episcopi ⁵; moderator ille facultates suas, quoad receptionem membrorum, quoad indulgentiarum largitionem, aliave hujusmodi, delegare nequit, nisi expresse haec sibi facta fuerit potestas ⁶.

VI. Proprie erectio non est aggregatio illa qua « Archiconfraternitas » jure suo Confraternitatem, aliunde canonice erectam, sibi in privilegiorum et indulgentiarum participatione adjungit. — Erecta canonice Confraternitas nullo jure gaudet sibi aggregandi alias confraternitates, nisi hoc ipsi fuerit a S. Sede concessum. Requiritur Ordinarii consensus ad hoc ut Confraternitas alteri Confraternitati aggregetur, et gratiae vel indulgentiae ita communicatae, absque praevia Episcopi recognitione, non debent promulgari ⁷.

¹ Cfr. Deshayes et D. D. cit.

² Cfr. Leo XIII., *Auspicato*, 17 sept. 1882; *Misericors*, 30 maj, 1883; Clem. VII, *Constit. Quaecumque*, 7 dec. 1604.

³ S. C. C., 18 aug. 1861; S. C. Ind. 16 nov. 1888; S. C. C., 23 nov. 1878; decret, 8 jun. 1861.

⁴ C. *Quaecumque* cit.

⁵ S. C. Ind. 8 jan 1861; 16 jul 1887.

⁶ *Decret. auth.* n. 306 ad III, et n. 169.

⁷ S. C. Ind., 14 sept 1892; *Constit. Clem. VIII, Quaecumque*, cit. qua cunctas fere de Confraternitatum erectione leges edicuntur.

VII. Gratis omnia fiant in hac materia, erectio, concessio vel communicatio indulgentiarum et privilegiorum, collatio diplomatis, etc.; omnis vitanda questus cujuscumque figura et pecuniaria contributio ¹.

VIII. Statuta Confraternitatis ab Ordinario sunt examinanda ac probanda [etiamsi extra dioecesim fuerint jam antea approbata], nisi Apostolicae auctoritatis confirmatio ipsi accesserit, aut in vim contractus fuerint condita ².

IX. Ipso facto erectionis, per se, Confraternitas non accipit indulgentias, quas ideo obtinet vel: a) a S. Sede, directa postulatione, si omnino nova sit, vel b) servatis tamen de jure servandis, indirecta participatione, ratione similitudinis cum alia Confraternitate jam indulgentiis ornata, quo in casu erectionem canonicè factam ipso jure sequitur indulgentiarum communicatio ³; vel c) erectione peracta a Generalibus Ordinibus; vel d) erectione facta per Episcopum, speciale indultum pro communicatione indulgentiarum habentem.

X. Regulares erigentes et Archiconfraternitates aggregantes, eas tantum indulgentias aliasve gratias spirituales valent conferre Confraternitatibus noviter erectis vel aggregatis quae ipsis nominatim et in specie, non autem quae per extensionem vel communicationem quovis modo fuerint concessae, et illas quidem indulgentias non sub generali forma verborum et « ad instar », sed expresse et in specie communicare debent ⁴.

XI. Confratres infirmitate laborantes, vel carceribus detenti, iisdem gaudent privilegiis et gratiis spiritualibus ac coeteri confratres, dummodo alia pia opera sibi possibilia ex injuncto confessarii adimpleant ⁵.

XII. Exstinguitur Confraternitas: a) legitima suppressione propter delictum aut defectum; b) suppressione parochiae vel ecclesiae parochialis in qua fuit erecta; c) morte vel recessu voluntario omnium sodalium.

XIII. Transferri potest Confraternitas de una in aliam ecclesiam, auctoritate Episcopi.

XIV. Nullus indulgentias lucratur nisi prius legitime Confraternitati fuerit adscriptus, et, regulariter exigitur, praesertim in Confraternitatibus strictiori sensu collegialiter institutis, physica personae adscribendae praesentia.

XV. Sodalitates particulares, pro certa tantum dioecesi vel regione canonicè erectae, non possunt fideles dioecesi extraneos adscribere ⁶.

XVI. Omnia possunt confratres, absque licentia Episcopi, peragere quae sunt statutis consona, v. g. conventus, exercitia consueta, electiones, administrationem bonorum suorum ⁷, etc., non autem prohibere ne Episcopus congregationibus, per se aut per delegatum intersit, et quae sibi fuerint corrigenda corrigat; nec valent eleemosynas percipere aut erogare, nisi juxta formam ab Ordinario praescribendam ⁸. — Generatim Confraternitates a lege civili non habentur tanquam personae juridicae, quae « possidere » valeant ⁹.

XVII. Quoad praecedentiam, triplex regula in jure habetur: 1° coeteris praecedit Confraternitas SS. Sacramenti in processionibus quando defertur Sanctis-

¹ Clement VIII, cit. Constit. §§ 2 et 5.

² Id. Ibid., §§ 4 et 5; S. C. C., 14 sept. 1872; S. C. E. E. et R. R., 15 mart. 1889.

³ Clement VIII, loc. cit.

⁴ Id. Ibid.; S. C. Ind., 19 mart. 1671.

⁵ S. C. Ind., 16 jul. 1877; S. C. E. E. et R. R., 25 febr. 1887.

⁶ S. C. Ind., 26 nov. 1880.

⁷ S. R. C., 10 dec. 1703.

⁸ S. C. Ind., 8 jan. 1861.

⁹ Pro Italia. — Cfr. Calchi-Novati, *op. cit.*, lib. II, tit. III, cap. 2.

simum ¹; 2° antiquior [ratione erectionis canonicae] Confraternitas prior incedit; 3° Tertius Ordo S. Francisci aliis Confraternitatibus saecularium antecedit ².

XVIII. Quaelibet saecularium Confraternitates, etiam in ecclesiis regularium exemptis erectae, Episcopi jurisdictioni et visitationi subjiciuntur ³.

XIX. Confraternitas erecta in ecclesia parochiali, vel in oratorio eidem adnexo, omnino pendet a Parocho quoad functiones ecclesiasticas, etiam non proprie parochiales, salvo tamen ipsi remanente jure vitam propriam secundum statuta vivendi, dummodo functiones communes et divina officia non impediatur ⁴.

XX. Confraternitas erecta in ecclesia parochiali separata, pendet a Parocho in solis functionibus quae proprie parochiales reputantur, nec potest Parochus sese immiscere in administratione oblationum et eleemosinarum, aut rectores Confraternitatis ad adstendum functionibus et officiis parochialibus compellere. In dubio, standum est pro jure Parochi, quod semper censetur favorem juris habere ⁵.

495. — Ad rem pastorales normae huc fere omnes redeunt, ut tum iura, tum debita ipsas erga Pastor colet, ac quae erga ipsum ac paroeciam Confraternitates officia servare tenentur sarcta sint, et utraque vero ex canonicis nuper adlatis legibus, patent. Sed ad rem:

a) Pias confraternitates in eadem paroecia multiplicare non expedit. Nova, igitur, sodalitia, ubi vetera sufficiant, instituenda non sunt, sed antequam in re aliquid decernatur Ordinarius, consulatur.

b) Ad pios coetus rite constitutos variis mediis alliciendi fideles sunt, nempe conventibus regulariter habitis, appositis instructionibus, Sodalitii festis, congruo honore Sodalitatibus in Ecclesiae caeremoniis exhibito. Attamen haec omnia [meminerint Pastores] ita agenda sunt, quin inde parochialis vita detrimentum patiat, sed ut potius adiumentum capiat. — His piis Consociationibus defunctos inscribere nefas ⁶.

c) Ne Confratres, potiusquam Parochi subditi ac paroeciae filii, amborum dominatores rectoresque sint, cavebit Pastor, et generatim ne ab his Confraternitatibus, potiusquam adiumenta, detrimenta capesset, curabit quam maxime. Dum, igitur, earum jurium sedulus curator Pastor est, et suorum assiduus custos ipse sit: comiter semper confratres habeat, sed non nimis, ne quibusdam [qui fere ubique semper habentur] paroecialem provinciam invadendi cupidus, occasionem praestet.

d) Haec contumaciae pericula quum propriam Ecclesiam sortitur Sodalitas [in qua, saepe nimis, adeo adversus Rectorem confratres certant, ut eius ductores dominosque dixeris] facilius habentur. Sed quum

¹ S. C. C., 24 jul. 1886.

² S. R. C., 28 maj. 1866.

³ Trid. XVII, 8; S. C. E. E. et R. R.

epist. ad Episcop. Alifens., 31 jul. 1737.

⁴ S. R. C., 10 dec. 1703, n. 1, 2.

⁵ S. C. C., 10 nov. 1910; S. R. Rota, in *Uxentini*, 9 jul. 1910.

⁶ S. R. U. Inquisit., 6 dec. 1876; S.

C. Indulg., 14 aug. 1889, 31 aug. 1897.

in paroecia constitutae sint, interdum, functionum paroecialium ordinem adeo conturbare conantur, ut magis magisque noceant. At, in primis et ante omnia, has praecedere iubebit, quibus Confraternitatis alias sequi oportet, et ut saltem extraordinarias paroeciae functiones eorum praesentia sodales cohonestent, ac prudenti ac submissa opera adiuvent, curabit Pastor, qui tamen haud raro plurima in re obstacula percipiet.

e) Haec incommoda a statutorum Confraternitatis neglectu, profecto, dimanant, quae tum ecclesiasticae potestati subiectionem, tum sociorum selectionem iubent: quo fit ut qui prima cavere velit, et postrema apte consulere teneatur. — Si vero, processu temporis, aliquis confrater a recto itinere deviare, trinis praemissis admonitionibus, nisi emendetur, a Sodalitio expungatur. Si, enim, his indulgeret Pastor, harum Sodalitatum catholicus finis omnino collabesceret.

f) Quamvis complurimae quae Confraternitates ac Parochum inter haberi solent disputationes de lana caprina sint, attamen, interdum, Sodalitatis pecuniae administratio in causa est. Quo in negotio, omnino independentem a confratribus Parochum se habere, ac capsam ipsam tenere haud decet; sed ut confratrum collegium cura peculiari, vel cum ab ipsis ad hoc deputatus oeconomicam gestionem [ab Ordinario quotannis adprobendam] colat, suadendum est¹. Alienae ac praesertim sacrae et Confraternitatum pecuniae contrectatio, ardua periculosaque semper res manet.

496. — Quae Sodalitates seu Confraternitates instituendae fovendaeque sint, communis praxis amplissime docet, et ex his praecipuis² sequentes recolimus:

a) Quae in honorem *Mysteriorum Christi* institutae sunt, nimirum: Confraternitas Corporis Christi³, Adorationis Perpetuae ac nocturnae, Pauperum Ecclesiarum, SS. Cordis Iesu, Quinque Vulnerum, Pretiosissimi Sanguinis, Horae Sanctae, Eius Agoniae, Infantiae⁴, S. Crucis, Familiae Nazaretanae⁵, SS. Trinitatis, SS. Nominis Iesu, a Divina Providentia etc.

b) In B. M. Virginis honorem institutae Confraternitates, nempe: SS. Rosarii, Scapularis, Annuntiatae, Septem Dolorum, Cincturatorum, Carmelitorum, Suffragiorum, Purissimi Cordis, Nostrae Dominae a SS. Corde, Matrum Christianarum, Matris Admirabilis, Imaculatae Concep-

¹ Cfr. Berengo, *Op. cit.*, n. 237.

² Cfr. *Instruct. Pastor. Eystettens.*, n. 196.

³ Cfr. Paulus III, *Constitut. D. N. Jesus Christus*, 30 nov. 1539.

⁴ Leo XIII, *Sancta Dei Civitas*, 3 dec.

1880.

⁵ Cfr. Leo XIII, *Neminem fugit*,

14 jun. 1892.

tionis, Prodigiorum¹, Numismate Auxiliatricis, Reparatricis ac, pro iuventute, Congregationes Marianae quarum amplissimam laudem saeculorum historia celebrat.

c) In Sanctorum honorem habentur Confraternitates: S. Petri, S. Sebastiani, S. Annae, S. Barbarae, S. Aloysi ac Stanislai Kostkae, S. Michaelis, S. Ioannis Nepomuceni, S. Francisci Xaverii, S. Andreae, S. Rochi, S. Hieronimi, S. Francisci Regis, Tertius Franciscanorum Ordo², SS. Angelorum Custodum, S. Ursulae, S. Annae, necnon aliarum complurimarum in peculiaribus dioecesibus ac paroeciis constitutarum, ut Bonae Mortis, Misericordiae et similibus.

d) In defunctorum solatium, confraternitas De Suffragio ecc.

e) Quamvis, potiusquam Confraternitates canonice acceptae, Sodalitates tantum aliae complurimae sint, quae tum in fidelium, peccatorum vel pauperum auxilio constitutae sunt, eas memorare decet, nimirum: S. Bonifacii [ad catholicorum adjuvandas communitates inter acatholicos degentes³], S. Vincentii a Paulo [pro pauperibus sublevandis⁴], S. Francisci Regis [ad matrimoniorum revalidationem atque concubinitus tollendos], S. Hieronimi [pro evangeliorum diffusione], S. Caroli et S. Francisci Salesii [pro bonorum librorum diffusione], S. Infantiae ac Fidei Propagationis Opera, de S. Petri Obolo, et ita porro, quibus omnibus eximiae caritatis facinora in pastoralis ministerio obtinentur, ac, cum haud exiguo christianae observantiae adiumento ac incremento, peculiaria in ea devotiones alentur.

497. — Ex peculiaribus devotionibus in christifidelibus fovendis, praecipuas saltem innuere opportunum erit. Idcirco:

a) Erga SS. Eucharistiam [de qua diximus⁵] ac Christi Mysteria omnia assiduus in christifidelibus cultus foveatur, et praesertim Eius Sacratissimi Cordis cultus, *ut amoris sui vinculis omnia ad seipsum trahat, utque omnes homines, sanctissimo suo amore inflammati, secundum Cor eius ambulent, digne per omnia placentes, in omni bono opere fructificantes*⁶, Pastor excolet. Quanta, enim, assidua huius cultus cura, in paroeciis ac in fidelibus omnibus spiritualia bona afferat, difficile dictu profecto est. Quapropter prima FERIA VI uniuscuiusque

¹ Cfr. SS. D. N. Pius PP. X Epist. 11 sept. 1908.

² Cfr. Leo XIII, *C. Misericors*, 30 maj 1883: *Humanum genus*, 20 april. 1884.

³ Cfr. SS. D. N. Pii PP. X epist. ad *Fr. Naecke*, 1 maj 1904.

⁴ Cfr. Epist. SS. D. N. Pii PP. X ad *F. Calon*, in *Act. Apostolic. Sedis*, 1899, pag. 209; ad eiusd., 24 jan. 1910.

⁵ Cfr. pag. 385 et SS. D. N. Pius PP. X, epist. ad *Duch. Vendôme*, 16 dec. 1903.

⁶ SS. D. N. Pii P. X, *Alloc. consist.* XXVII nov. 1911.

mensis pia praxis instituatur, quae si fiat, *missam votivam* de SS. Corde Jesu celebrare licet¹. In mense **Iunio** [illud mariani ad instar] peculiaris pietatis praxis excolatur, ac **Eius Festum**, in Octava Corporis Christi, sub ritu duplicis I^{ae} classis solemniter celebretur².

b) In ea, qua nostra scatet aetas opinionum colluvie, ut a S. Spiritu illo plenas, integras, incorruptas, veritatis amore fidenter et assidue petamus omnino pernecessarium. Quapropter et erga hunc Divinum Paraclietum fidelium pietas excoletur quam maxime suadendum. In re vero Leo f. r. XIII jubet: *Supplicatio novendialis ante Pentecostem, in omnibus curialibus templis et, si Ordinarii locorum utile iudicaverint, in aliis etiam templis sacrisve fiat*³.

c) Ad fidelium in SS. D. N. J. C. Passionem pietatem fovendam, pium ac sanctissimum illud *Viae Crucis* exercitium est suadendum quam maxime, quo et praeclarissimae indulgentiae ab ipsis lucrantur. Ad rem, inter nuperrima decreta, sequentia accipe:

I. Pro *Viae Crucis* stationum erectione, in singulis casibus requiritur Ordinarium decretum⁴. Cruces super depictas tabellas integre eminere debent⁴.

II. Stationes *Viae Crucis* rite erectae, si renovari debeant, sufficit ut denuo benedicantur⁵.

d) Ut Beatissimae Virginis Mariae cultui maiora semper incrementa in paroecia accedant, nulli studio, nulli labori Pastores parcant. Enimvero ad homines a peccatis retrahendos eosque ad virtutem excolendam, quodam potenti incitamento alliciendos, efficacius nihil haberi exploratum est. Igitur:

I) Excelsas B. M. V. praerogativas, in publicis praesertim sermonibus, quos eidem Virgini festis diebus sacratis, ad populum Pastor habebit, ita exponat disseratque, ut, ardentissimo amoris affectu, omnium corda perfundantur.

II) Festos ipsos de B. M. V. per annum redeuntes dies, omni maiore devotione atque insigniore apparatu celebranda curet, quibus sacras novendiales supplicationes [quae ad devotionis fervorem augendum, et ad rite praeparandam sacramentorum susceptionem tantopere conferunt] praemittere consultum erit.

III) Pium mensis mariani exercitium peragat promoveatque Pastor, quod tamen, ne huius piae praxis institutio deformatur ac, immo,

¹ Leo XIII, in brev. *Benigno*, 28 jun. 1889. — Cfr. S. C. R. 20 maj. 1891 et docum. XII ad vol. calc.

² S. R. C. declarat. 24 jul. 1911 in Mot. Propr. *Supremi*, [2 jul. 1911] ad

VII; Encycl. *Divinus illud munus*, 9 maj 1897.

³ S. C. P. F. 21 febr. 1892.

⁴ S. C. Indulg. 27 mart. 1901.

⁵ S. C. Ind. 11 jan. 1896.

adeo pessumdetur ut, qui ex ea optantur fructus, penitus evanescant, in sua primaeva simplicitate brevitateque a Muzzarello tradita, servare oportet. Hi, igitur, qui hunc mensem in altero quadragesimae tempore adeo immutarent ut elaboratos, prolixos, ac ullo absque nexu, B. M. V. mentionem ipsam carentes sermones fidelibus exhiberent, quantum adversus genuinam huius exercitii ideam offenderent, per se patet.

IV) Ut in octobris mense, B. M. V. Rosarium peculiari ratione fideles colant Pastor curabit et ad rem:

1. Publica pietatis exercitia in paroecia habenda, quotidiana in ecclesiis paroecialibus omnibus SS. Rosarii recitatione, cum SS. Sacramenti benedictione, ex Leonis f. r. XIII¹ jussione [a SS. D. N. Pio PP. X confirmata²], continentur.

2. Quotidiana Rosarii recitatio in familiis omnibus propaget ac promoveat Pastor bonus, quo, dum avita ac gloriosa consuetudo servatur vel instauratur, et validissimae in christianis familiis coelestes benedictiones abundanter impetrantur. Ut, igitur, sub vespere, antequam cubitum eant, una simul in familia congregati, hanc piam devotionis operam B. M. V. fideles quotidie solvant, suadendi sunt.

3. Quoad rosariorum ac scapularium benedictiones ac indulgentias ipsis impertiendas spectat, ut debitas ad rem facultates quibus plenioribus, in quantum fieri potest, spiritualibus gratis ea ditent, Pastores sibi comparent, pernecessarium est. In re vero peculiare ac locupletissimas indulgentias illas quae sub *Crucigerorum* nomine veniunt, cum indulgentiis SS. mi Rosarii recitationi iam tributis et viceversa, in ipsa tantum SS. D. N. Pius PP. X cumulavisse, notum est³.

e) S. Familiae cultus omnino inculcandus fidelibus est, ut familiae christianae omnes, ad Sanctae Nazarethanae illae imaginem similitudinemque conformentur. Enimvero: *habent patres familias in Joseph vigilantiae providentiaeque paternae praeclarissimam normam; habent matres in S. Virgine Deipara, amoris, verecundiae, submissionis animi perfectaeque fidei insignem specimen; filii, vero, familias in Jesu, qui erat subditus illis, habent divinum obedientiae exemplar quod admirentur, colant, imitentur. Qui nobiles sunt discant a familia regii sanguinis, quomodo et in edita fortuna se temperent, et in afflictam retineant dignitatem; qui dites,*

¹ Encycl. *Supremi Apostolatus*, 1 sept. 1883: S. C. Indulg. 30 august. 1899.

² Cfr. Encycl. *E Supremi*, 4 oct. 1903.

³ S. C. I. 12 jun. 1907 — *Sacerdotum Adoratorum*. Consociatio eandem pollet facultatem [Pius X, 29 maj 1907].